

pitur & deducitur de propria specie in aliam rem nouam, non manet secundum realitatem propriam, sed elementa corrumpuntur & deducuntur de sua specie in aliam rem nouam, ergo elementa non manent in mixto secundum suas proprias realitates, quamvis aliquid, quod fuit elementorum, realiter maneat in mixtis: Secundo: vera mixtio est generatio, sed in generatione, telle Aristot. totum transit in totum, & nihil corrupti manet, ergo in vera mixtione nulla realitas elementorum manet; quamvis aliquid, quod fuit elementorum, sit in mixto: Tertio si aliqua realitas elementi maneat in mixto; vel illa est accidens; vel substantia: non accidens, vt patet; neque substantia, quia aut esset materia, aut forma, aut compositum, sed nullum horum, vt manifestum est: Quarto ut se habet realitas materia ad materiam, ita realitas formae ad formam, sed omnis realitas materia est materia, ergo omnis realitas forma est forma; & per consequens, si elementa remanerent in mixto secundum suas realitates, sequentur remanere quoque secundum suas formas: sed hoc ultimum non vult admittere Aureolus, ergo neque primum.

De Bacone verò sic loquitur in praesenti materia, atque tripliciter aliquid posse intelligi manere in mixto. Primo ita ut forma elementaris maneat infra propriam speciem elementi: Secundo ita ut corrumpatur totaliter, non retinendo propriam speciem: Tertio ita ut non retineat formam propriam, nec alterius geniti immedia-
tè ex illis formis, sed alicuius tertiz naturæ. Primo modo loquuntur Averroës & Auerroës: Secundo modo Aureolus: Tertio modo de Baconne, dicitque elementa manere in mixto, sicut alimentum transmutatum in speciem carnis dicatur manere in carne, proindequè quod sicut aliqua realitas alimenti manet in alio, transtudo de propria specie ad aliam; sic etiam ait, esse de formis elementorum. Sed hoc confutat Aquarius disp. de mixtione querens de illis realitatibus, aut fin in esse integrum, aut remissio, aut virtuali? non in esse integrum, aut remissio, vt probatum est contra priores opiniones: non in esse virtuali, vt supponit se probasse superius contra Scotum, at certè opinio de Bacone nihil aliud vult, quām quod elementa non remanent in mixto secundum suum esse integrum, aut remissum, aut secundum aliquam suam realitatem propriam; sed tantum virtualiter: qua est doctrina communis, licet in modo explicandi illud virtualiter varient authores, vt postea videbimus.

Tenendum
est elementa
nullo modo
actualiter
remanere in
mixto.

Quidquid sit de his, firmiter tenendum est elementa non remanere in mixto secundum aliquid sui proprii; imò nequidem secundum partes, aut realitates formarum elementarium: & hoc ratio alias indicata conuinicit; nam si tales partes remanerent, aut in una particula mixti esset tantum pars formæ unius elementi, aut partes plurim elementorum; non primum, aliqui qualibet pars non esset homogenea toti, & alijs partibus: si secundum, ergo plures partes formæ essent in eadem parte materia, quod

quod implicat; alioquin plura quanta essent in eodem loco. Valent quoque ad hoc idem probandum rationes iam allatae contra Aureolum.

Sunt tamen quædam, quæ obijci possunt in contrarium. Primum si elementa totaliter corrumperentur in mixto, sequeretur quod mixtio & generatio essent omnino idem, quod est contra Aristot. aliter loquentem de generazione, & aliter loquentem de mixtione. Sed ad hoc patet responsio ex ijs, quæ diximus immediate ante resolutionem.

Secundum: mixtio esset corruptio, sed hoc non, ex Arist. Respondebat quod mixtio primo & secundo modo sumpta non sit corruptio; bene tamen tertio modo spectata: vnde sicut diximus generationem esse aliquando mixtionem, nempe quando illæ duæ præviae mixtiones, nimirum aggregatio miscibilium, & eorundem alteratio præcedunt: ita nunc dicemus mixtione supponere corruptionem, & corruptionem reperi in mixtione, nempe postquam miscibilia sunt congregata; deinde alterata; tandem corrumpuntur, & fit vera mixtio, quæ & dicitur generatio: vnde vides illam solam generationem dici mixtionem, quæ supponit illam aggregationem miscibilium, & eorundem alterationem, & tandem corruptionem: generatio verò, quæ illa duo prima non supponit, non potest dici mixtio: sic quando ignis generat ignem in ligno, dicitur quidem generatio, sed non mixtio; itaque omnis vera mixtio erit generatio, non tamen omnis generatio erit mixtio.

Supposito ergo & probato, elementa non remanere in mixto nisi virtualiter, laborant Philosophi in explicando illo vocabulo *virtualiter*, id est quid sit elementa remanere in mixto virtualiter? aliter enim id intelligunt Thomistæ, & aliter Scotistæ: item aliter alij: quare placent diuersos modos adducere.

Ariminensis in 2. disp. 15. art. 2. ait posse dici elementa remanere in mixto, quia quod genitum est ex ipsis, & manet, est medium inter illa, non per participationem, sed per conuenientiam; conuenit enim in propriis qualitatibus cum illis miscibilibus, plusquam illa inter se; & ideo etiam in forma, quam tales consequntur qualitates: item & in operationibus proueniensibus ex qualitatibus illis: & quia mixtum potest per suas qualitates, & operationes aliquo modo similes producere; inde fit, vt dicatur continere elementa in virtute: & hoc vult Aristotel. dum dicit elementa manere in mixto.

Iohannes de Bacona loco cit. quest. 1. art. 3. Modus dis-
cendi de Ba-
cone.
querit à se quid sit illud reale elementi, quod manet in mixto? Responder est mixtionem, maximè cum assimiletur nutritioni magis, quam generationi, quia illud esse reale, quod haber commune ad speciem elementarem, & speciem mixti, est commune per modum alimenti, non per modum subiecti manens; non tamen est esse specificum elementi, sed est esse reale alia, quod